





Mercor ffo m. ill 8.3. 4t 81  
q uue e tia, lansat, \* a & 11 - 2, p. 67, ar > dat.

# SCHOLA Aquitana.



par Elio Vinet.

BVRDIGALÆ,  
Apud S. Millangium, Typogra-  
phum Regium.

M. D. LXXXIIII.

СЕДОВАЯ  
-многоуровневый алгоритм  
-многоуровневый алгоритм



II  
ELIAS VINE:  
TVS LECTORI  
S.

**A**NDRÉAS Gouueanus  
Lusitanus, scholæ Bur-  
digalensi præfектus, ho-  
mo ad iuuentutem recte  
instituendam factus, Maturino Cor-  
derio, Claudio Budino, aliisque Gal-  
lis præceptoribas eiusdem rei peri-  
tissimis, in consilium adhibitis, ludū  
suum optima disciplina, & exacta  
ratione docendi informauerat. Quā  
post discessum eius in patriam, ac  
obitum, quum paulatim corrumpi-  
cernerem, Ioanni Gelidæ Valentino,

### III

qui in præfectura illi successerat, aut  
etor fueram, ut veterem illam &  
scitam docendi rationem in litteras  
referret, quo posset quisque præce-  
ptorum ex libello nosse, quem aucto-  
rem prælegeret, ac quemadmodum  
sibi docendum foret. Consilium pro-  
bauerat Ludimagister utriusque  
linguae doctissimus: sed serius rem  
aggressum, perficere fata non permis-  
serunt. Quod itaque ille inchoate-  
rat, quia in manus meas, eo mortuo,  
forte peruenit, id mihi visum est cum  
priscis illis institutis, quæ mihi cogni-  
ta fuerant (annos enim circiter sex  
sub Gouueano Burdigalæ merui)  
comparare tandem, ac in publicam  
utilitatem edere, efficeréque provi-

III

*ribus, vt posteris non desit, vnde  
cognoscant, obseruentque docendi  
viam, quæ semper optima iudi-  
cata est. Vale. Burdigalæ,*

*Cal. Iulijs, M. D.*

*LXXXIII.*

A 3

V

# DOCENDI RATIO IN LVDO BVRDIGALENSI.



V R D I G A L E N S I S  
schola, cui huma-  
niorum litterarum  
gymnasio, Aquitani  
cæ quoq; scholæ co-  
gnomē impositum &  
fui t : quod & B̄rdigala Aquitaniæ,  
suæ prouinciæ, caput sit, & quod vni-  
uersæ Aquitaniæ iuuentus Burdigalā  
tanquam ad mercatum bonarum ar-  
tium, cuncta confluat: hæc quum in  
sua ciuitate esset vnica , & floreret  
maxime, duodecim classes Gramma-  
ticorum habuit, quæ nunc sunt nouē  
tantum, sed quæ ad denarium adduci  
numerum debere, & illic consistere

## VI

censuerim. Primum enim ingenio ille insigniter tardo fuerit, qui decem annorum spatio, a decima classe ad primam non peruerterit: poteritque in eodem ordine duos annos plurēs ue manere. Deinde sic uis classium vberitas ea fuerit, ut molesti inter se sint immenso numero pueri, & præceptor unus tantam turbam sustinere non possit, vna classis in duas diuidi poterit, & vtrique suus præceptor, & doctrina assignari. Sic ex vna Sexta duas aliquando h̄ic factas multi meminerunt: quæ vtraque prisum nomen retineret, sed maioris Sextæ, in quam prouectiores delecti fuerāt: & Minoris Sextæ, in quam eorum condiscipuli. A decima igitur, ac infima classe Grammaticorum, huius tractationis sit exordium.

## Decimus Ordo.

## VII

**D**E C I M A classis in schola Aquitanica, est eorum, quos a duabus litteris Græcis Alpha & Beta, Alphabetarios : vel a quattuor Latinis A B CD, Abecedarios vulgo vocitamus. Pueruli sunt, & minores etiam septem annis pueruli, ut Fabio placuit : qui a parentibus, & propinquis in Ludum, prima litterarum Latinarum, ut Latino sermoni cognoscendo hæc schola in primis destinata est, elementa cognituri ex his duobus libellis, mituntur: quorum alter & prior, vnde nomen habent, Alphabetum inscribitur: qui libellus eoru causa impressus, nullis syllabarum compendijs, viгинти trium litterarum contextum & formas, Orationem Dominicam, septem psalmos, & quedam alia exhibet. Alter vero, qui ut parvus & parvorum est, ita Libellus Puerulorum quoque dicitur: & qui continet primas

## VII

nominum & verborū declinationes.  
Ita mature ijs instituuntur, quę pri-  
ma sunt in Latina arte Grammatica.

In hac igitur classe decima ordi-  
nes sunt & sc̄amna multa, vt sc̄amna  
scholæ nostrę appellant oblonga se-  
dilia, in quibus sedent pueri, primū,  
secundum, tertium, quartum, quin-  
tum. Primusque ordo numeratur &  
sc̄amnum, in quo qui insident, doctissimi  
sunt: & in septem psalmis, qui  
vulgo dicūtur, lectionē suam habēt.

Hi statim vt præceptor ingressus  
est, surgunt omnes, quotquot in eo  
sc̄amno sunt: & iuxta sedem suam  
stantes, ac libros suos apertos inspi-  
cientes, ad suam lectionem primi ag-  
grediuntur. Ex ijs duo primi incipiūt  
(sic bini, terniue pro numero insti-  
tuuntur) aut saltem præceptor, qui  
solet omnia præfari, quæcunque in  
hac classe docentur. Ut, verbi gratia,

## IX

si lectio sit ex principio quarti illorum psalmorum, preceptor dicit primum vocabulum, *Miserere*: quae pueri subsequentes, *Miserere*. Deinde preceptor appellat litteras, syllabasque coniungit eiusdem vocabuli, *M,i,Mi*: & discipuli, *M,i,Mi*. Ille, *s,e,se*, *Mise*: *Discipuli,s,e,se,Mise*. Ille, *r,e,re*, *Miserere*: *Discipuli,r,e,re,Misere*. Praceptor, denique, *r,e,re,Miserere*: & discipuli, *r,e,re,Miserere*. Sequuntur secundum totidem numero: qui secundum psalmi verbum *mei*, eodem modo expediunt: & tertij tertium *Deus*, ac similiter alij deinceps, dum canctos letionis versiculos absoluerint. Qui versus si forte breuiores fuerint, quam qui vocabula contineant toti sic turbæ sufficientia, illi repetuntur, ut nemus non dicat, & discat. Postremo ubi ad eum modum suam quisque portionem absoluerit, eosdem versus cun-

## X

Ei simul vna voce pueri, præfante  
semper præceptore, recitant, *Miserere  
mei Deus, secundum magnam miseri.*

Secundus ordo & scamnum est  
eorum, qui principium primi illotum  
septem psalmorum, *Domine ne in fu-  
rore tuo, legunt.* Quos docendi ratio  
eadē est prorsus: nisi quod, quia sunt  
rudiores, & timet præceptor, ne-  
quid errant ab ijs, quæ præfatur, ac-  
cersit, quos nouit in primo ordine  
doctissimos: qui prætent a festuca, lit-  
teras, syllabas, dictiones, illis mon-  
strent, quas præceptor prefatur. Ter-  
tius ordo habet canticum Marię pro  
lectione, & Quartus orationem Do-  
minicam: in quibus duobus scannis  
docetur, ut in secundo. Quintus ve-  
ro ordo est Abecediorum, qui iux-  
ta suum & ipsi scannum stantes do-  
ctoribus etiam ijs festucam præten-  
dibus, præceptorēque præeunte,

## XI

viginti tria elementa bis tereue pronunciant. Postquam autem haec ita per singula scamna sunt peracta , si quid restat temporis,singula repetuntur singulis ordinibus , vel saltem inferioribus rudioribusque, ut prudens preceptor diligensq; iudicat : quoad disputationum signum datum sit. Tunc enim primus ordo, Nominum & Verborum declinationes ex libro suo recitat: quemadmodum illic praescriptum est: ac tum demum idem ordo, reliquis attendantibus, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam,& Symbolum Fidei memoriter dicit clare & distincte : ut & alij inde edificant.

Hora Meridiana, ac post Meridiē tertia, eadem eodem ordine docentur, nisi quod Meridiana , intermittitur oratio propter angustiam temporis.tunc enim docetur horam unam

## XII

duntaxat, nec sunt in alijs classibus dif-  
putationes.

Pueri autem quū primū ex cognit⁹  
viginti tribus elementis syllabas  
& dictiones confidere posse cœper-  
int, scriptorio, vt vulgo appellatur,  
illis opus est. Tunc enim scribere ma-  
ture discunt. Litteram vnam, syllabā,  
dictionem, sententiam aliquam non  
otiosam præceptor illis præscribit,  
quam imitantur: nomina & verba in-  
flectunt: quæ præceptor⁹ sua manu  
scripta, exigua chartula, cōtinuo red-  
dunt, quicquid scriferint: quod ipse  
inspicit: & monet, si quis error est, si-  
qua inscribendo incuria. Sicui autem  
eorum in mentem venit, vt fere fit,  
hominis figuram, canis, equi, arboris,  
aut aliqua alia, sua in charta pingere,  
non propterea cœditur puer, modo  
præceptoris præcepta non neglexe-  
rit. Est enim ea via ad graphicēn: quæ

### XIII

omni hominum generi est perquam  
vtilis,& quam in tota quondam Grę-  
cia pueri ingenui ante omnia doce-  
bantur, vt Plinius scribit libro xxxv.

Ætati vero huic tam teneræ , non  
esse protinus acerbe instandum , nec  
statim exigendam ab ea plenam ope-  
ram, iampridē monuit Fabius. Ideo-  
que pueri huius classis nihil ediscere  
coguntur : sed sponte hærent me-  
morię, quæ ſepiuſ repetuntur. Repe-  
tuntur autem quum alia, tum nomi-  
num & verborum declinationes , il-  
lāque non ſolum dum ab iphis pueris  
recitantur , ſed etiam dum ſcribun-  
tur, præceptor i reddenda.

Ceterum ex primo ſcamno pueri  
digni habētur, qui ad nonam classem  
conſcendant, quod ter quatérue fit  
per annum , quum legere expedite  
poſſunt quæcunque ſui continent  
libelli, & ſimul declinare aliiquid ſcri-

### XIII

beréque nouerunt: alioqui manendū diutius tardioribus in eodē scamno, aut descendendum ad inferius. Acci-  
tus a p̄ceptore Ludimagister, ascē-  
furos accipit: & hortatos, vt in litte-  
ras diligentius etiam quam antea, in-  
cumbere, & discere pergent, ad su-  
periorem ducit p̄ceptorem. Eos  
illi tradit: eiúsque fidei & diligentiae  
quantum potest, commendat. In ho-  
rum autem locū succedunt, qui pro-  
ximi erant: & sic alij, pro eruditione  
locum illic mutant.

### N O N V S O R D O .

V L A quicquid Græcis Latinis-  
A que hominibus fuerit olim, nos  
Aulas vulgo dicimus & Gallice *Sa-*  
*las*, vbi prandere & cenare solemus,  
ampliora triclinia, in cibis priuatis:  
tū in publicis, vt in Ludis nostris, spa-  
tiosa loca, in quib⁹ orationes, disputa-  
tionēsq; publicæ fiunt. Eiusmodi Au-

## XV

Iam Burdigalensis schola habet admodum amplam: quæ etiam nonæ classi deputatur: vnde Aulani dicuntur pueri ipsi saepius, quam Octauani aut Nonani, quum reliquarum classiū discipuli a numero fere vocitentur, Primani, Secundi, Tertiani, ut quodam legionum singularum milites. Totam autem illi non complent, sed particulam tantum in eo, quod & veterum theatra quodammodo refert, & ideo Theatrum vulgo dicitur, in puerorum gratiam ex ligno sic extructum, cum vt locus angustus plures capiat ( Nam hæc classis semper puerorum numero præstigit ) tum vt præceptor suos sic melius oinnes videat ac obseruet, quid agant, in partente clivo, nullis latebris obnoxio. In quo theatro undecim sunt gradus: qui sex subselliorū ordines exhibet. Qui ex numero, quo progrediuntur ordine

## XVI

ordine ab infimo ad summum, Primus, secundus, tertius, quartus, quintus, sextus vocantur.

Huius autem classis, quum hoc sit officium, ut pueri bene & velociter Latina Gallicaque legere & scribere perdiscant: deinde ut nomina & verba declinare in primis sciant, ac prima Grammatices elementa sensim cognoscere incipiāt, in quā rem prostat a Simone Millangio impressi Catonis Latine & Gallice interpretati, Declinationum & Rudimentorum Grammatices, libri, hora octaua, quū primum ingressus est præceptor, primi ordinis pueri duas aut tres sententias recitant ex Catonis præfatione, aut ex dictis Sapientum, quæ Catoni subiecta sunt, ut præceptori visum fuerit. Secundi similiter ex dictis Sapientum, si primo ordini assignata sit eadē præfatio. Tertij ex pri-

B

## XVII

mo libro distichorū Catonis , Quar-  
ti ex secūdo, Quinti ex tertio, Sex-  
ti & supremi ex quarto, singula disti-  
cha cum interpretamento suo disti-  
cho , mémoriter reddunt. Hæc vbi  
expedita primum fuerint, Quartani,  
Quintani, & Sextani sua illa disticha  
eorūmque interpretamētum ex suis  
impressis libris descripta recitant, to-  
ta singuli , si per tempus licet , si non  
vacat, partem primus, partem secun-  
dus, tertius quoque partem eius ali-  
quam, vt discipulos suos omnes eru-  
diat præceptor, & in officio cōtineat.  
Hi tres supremi ordines , postquam  
sic effecerint, surgit aliquis ex quoq;  
ordine: qui omnes omnium sui ordi-  
nis chartas colligit , ac ad præcepto-  
rem defert. Hæc dum fiunt, Primani  
Secūdani, & Tertiani, aut libros suos  
inspiciunt, vt ex alijs legere & pro-  
nuntiare discunt, aut scribunt aliquid,

## XVIII

quod preceptor prescripsit. Inferiorum namque ordinum pueri diligenter dare operam debent, ut scribere mature sciant: quo superiorum ordinum, ad quos aspirant, digni fiat, in quibus lectiones cuncte describuntur.

Meridie, cuncti ordines, praeter infimos duos, Rudimenta, suam quicunque partem, memoriter reddunt. Deinde eandem preceptoris propria manu scriptam porrigunt. Qui incipiunt quidem a litterarum diuisione: sed ut alij alijs proiectiores sunt, plus reddunt Sextani quam Quintani, & hi quam Quartani. At in primo & secundo ordine, nomina ex declinationum libro sumpta, vel alia ex Catone, que preceptor pridie iusserrit, memoriter reddunt: eidem preceptoris scripta propria manu porrigunt.

Vespere, superiores ordines diuer-

B 2



## XIX

sa verba memoriter reddunt, precep-  
torique scripta porrigunt. Inferio-  
res vero duo, sua etiam declinant, sed  
**ex libro**, die Lune Indicatum, Mar-  
tis Imperatiuum, Mercurij Coniun-  
ctuum, Iouis Infinitium. Die ver-  
veneris quattuor illi modisi singulis,  
omnes, postquam inflexerint, precep-  
tori scripti porriguntur, subscripto  
suo cuiusque proprio nomine, & or-  
dine, quoti sit.

Die Sabbathi hora octaua, supe-  
riores ordines domo afferunt totius  
Septimanę lectiones propria manu  
**ex libro** descriptas : easque, me-  
moria repetitas preceptorι cunctas  
porrigunt. Inferiores vero duo satis  
fuerit, si ex libris impressis probe re-  
citarint.

Meridiana, quecumque declinata  
sunt tota septimana, & que ex Rudi-  
mentis redditia memoriter, ea omnia

## XX

memoria rursus repetunt, & præceptoris suo denuo porrigunt superiores ordines: infimi vero, qui scribendi adhuc rudes sunt, ex suis libris sua recitant. His autem finitis, siquid superest temporis, id insumitur in declinandis cum nominibus, prominib[us]q[ue], tum verbis, quæ in Catone reperiuntur: quod alijs etiam Septimanæ diebus obseruatur.

Pueri autem ut profecerint, ita concendere in ordinem superiore oportet. In infimo, & illi proximo postquam suam præfationem, & Sapientum dicta edidicerint: scribere iam potuerint: & sua expdite legere nouerint, totam illam præfationem, & Sapientum dicta præceptoris memoriter reddunt: & in proximos ordines scandūt. Sic alij postquam suū librum Catonis totum, ut dictum est, & Rudimenta edidicerint, ascendūt.

## XXI

Ex supremo vero ordine in Octauā classem tandem dimititur, qui omnia, quæ dicta sunt, prestiterint: alioqui diutius manendum tardioribus in suo ordine, aut in inferiorē etiam descendendum. Dimituntur autem singulis anni quadrantibus ex eo ordine cuncti, vel pars, pro ratione profectus: deducitque Ludimagister ut de Decimanis dictum fuit.

## O C T A V V S O R D O .

**O**CRAVVO ordinis, sui sunt libri destinati, unus ex selectis epistolis Ciceronis: alter ex aliquot scēnis Teretij: tertius ex Colloquijs Matrini Corderij, cuncti in lectiones distributi, singulis diebus ediscendas pueris. Primum itaque horum librorum sibi emunt pueri, quemcunque præceptor est praelecturus, & simul librum purum. Ex illis domi perpetuo residentibus, in hoc pueri lectio-

## XXII

nem describunt, quem secum in Ludum ferunt, cum ijsdem declinationibus & Rudimentis Grammatices. In auditorio, vbi certas sedes semper habent pueri, primus contextū, quē descriptum domo attulit, legit: secundus expositionem, tertius orationis partes, quartus contextum rursus, & sic deinceps usq; ad ultimum. Deinde ad singula contextus verba deuenitur. Primus verbum primæ orationis enuntiat. Id coniugant pueri, unus Indicatiui præsens, aliis præteritum imperfectum: ac ita deinceps alij modi & tempora subduntur. Postremo, quem casum a fronte, unus: aliis quem casum a tergo habeat, dicit. Tum aliæ partes eiusdem orationis declinantur: earumque accidentia traduntur, exigunturque omnia ad regulas Concordatiæ, & Constructionis, quæ in fine Rudimentorū

### XXIII

habentur. Expedita hāc, ad alias orationes pergitur, eodēmq; modo excutiuntur omnes, quotquot sunt. Postremo præceptor pueros exercet in lectionis locutionibus, Gallice interrogans, & eas varians secundum modos, & tempora, numeros, personas verborū: ut ex hoc, *Si vales, quomodo dicant, Si ie me porte bien, si mon pere se porte bien, si nous nous portons bien, si vous vous portiez bien, si mes compagnons se portent bien, si ie me porte bien, &c.* Fecisti mihi gratum. *Tu m'as fait plaisir. Cicerō me fait plaisir. Tu me feras plaisir. Je te vouloie faire plaisir,* &c. & quas videbitur excipere præcipiens, quæ ipsis usui sint, quando ex prelectis, thema Gallicum paulo longius, die Sabbathi proponit, quod domi vertant, & præceptori omnes reddant Latinum, quum primum in Ludum redibunt.

## XXIII.

Hora Meridiana; Rudimenta repetuntur, ut a præceptore explicata memoriæ diligenter mandentur.

Hora tertia, eadem fiunt, quæ octaua.

Post sex menses, præceptor si quos nouit hac in classe, qui ingenio & diligentia longe alijs præstent, monet Ludimafistrum: qui venit in auditum. Probat pueros, & dicit ad septimam, qui ex illis digni visi sint.

## SEPTIMVS ORDO.

SEPTIMANIS prælegitur liber Saliquis ex facilioribus Epistolarū Familiarium Ciceronis. Hunc asseruant domi emendate impressum: ex quo sua ipsi manu transcribunt in librum purum, quem secum in Ludū cum declinationibus & Rudimentis ferunt, quantum eo die prælegi conuenit, tres nimirum aut quattuor versus formæ octauæ. Inter eos versus

interualla obseruant semipollicaria  
minimum: ut ea expositionem, quam  
puer excipere debet, capere late pos-  
sint. Præceptor ex suo libro eosdem  
prælectionis versus recitat, distinguit  
orationes, monet, si quo in verbo or-  
thographiam fuisse neglectam suspi-  
cetur: & si quod forte nomen minus-  
cula littera sit scriptum, quod, maius-  
cula debeat, vel contra. Deinde ex-  
plicationem aggreditur: quæ tota  
Gallice fit, nisi forte aliquid Latini  
subaudiendum sit, aut commutandū  
quippiam, rei coimmodius explican-  
dæ gratia: eaque per singula verba  
procedit, quantum fieri potest. Quæ  
si sic inepta est, ut vix intelligi possit  
a pueris, subiectur alia Gallico Idio-  
mati conuenientior. Ut verbi gratia,  
*Noli putare me ad quenquam longiores*  
*epistolas scribere, Tu noli, ne veuille.*  
*Putare, penser. C'est à dire, Noli putare*

## XXVI

*Ne pensepas , me scribere , quod ego  
scribam , que i' escriue , &c. P'eracta ve-  
ro & repetita a p'receptore exposi-  
tione , vniuscuiusq; orationis partes  
que sint , mōstrātur , & verba in pri-  
mis , ac horum genus , cōiugatio , præ-  
teritum & supinū , Modus , Tempus ,  
Figura , Species , ac Constructio . Hec  
mane fiunt . Vesperi vero hec : aut si  
illa vesperi , hec mane postridie . Om-  
nes pueri p'relecta memoriter red-  
dunt , singuli , bini , terniue pro nume-  
ro . Deinde expositionem tecitant : &  
tandem orationis partes declinant :  
& in locutionibus exercentur , quem  
admodum sit in octauo ordine ,*

*Hora Meridiana p'releguntur no-  
minum genera ex Despauterio , duo  
aut tres versus quotidie , ita tamē ut  
declinationes Nominum & Verbo-  
rum , & simul Rudimenta accurate  
repetātur , aut hac hora , aut Matutina*

## XXVII

Vespertináue siquid est vacui tēporis  
Sabbatho, proponitur pueris the-  
ma Gallicum ex Epistolis Ciceronis,  
quæ præleguntur, tantum omnino,  
quantavna lectione est: quod Latine red-  
dunt præceptor, quo die post in lu-  
dum reuertuntur: quod præceptor  
publice emendando indicat quibus  
in locis in imitatione peccatum fuit,  
ac in præceptis Grammatices. Die  
Mercurij autem Iouis aliud proponitur,  
postridie similiter reddendum emen-  
dandumque. Sed de his plura postea.

## S E X T U S O R D O.

**I**N hac classe enarratur etiam Gal-  
lice aliquis liber earundem Cice-  
ronis Epistolarum: & prælecta mane,  
pueri reddunt memoriter vesperi:  
aut postridie mane, si vesperi præle-  
cta fuerint.

Hora duodecima, Despauterij Ge-  
nera, Declinationes, Præterita & Su-

## XXVIII

pina,& præterea Syntaxis, quantum  
vacabit. Repetuntur vero,& fiunt re-  
liqua omnia sicut in septimo ordine  
monstratum est.

### QVINCVS ORD O.

**I**N quinta classe, hora octaua, Ci-  
ceronis Epistolarum Familiarium  
liber aliquis Gallice exponitur.

Meridiana , Despauterij Genera  
& Declinationes nominum cum He-  
teroclitis, Præterita & Supina verbo  
rum,& Syntaxis, ac tandem ars Ver-  
sificatoria cum Figuris.

Tertia, Teretij Comœdiarum ali-  
qua,& sub anni finem aliqua Ouidij  
epistola. In repetendis autem postri-  
die lectionibus, & de thematibus,  
omnia fiunt, sicut dictum fuit de sex-  
to ordine & septimo.

### QUARTVS ORD O.

**I**N quarto ordine hora octaua, anni  
initio, prælegitur liber aliquis Fa-

## XXIX

miliarium, aut ad Atticum epistolarum: simulque Despauterij Genera, Declinationes, ac Heteroclita percurruntur. quibus absolutis oratio aliqua Ciceronis ex familiaribus substituitur, & compendium aliquod Rhetorices ex facilioribus.

Meridie vero Syntaxis, ars Versificatoria, & Figurę eiusdem Despauterii.

Hora tertia, vna ex Terentij fabulis explicatur: qua absoluta, progressus est ad Ouidium de Tristibus aut de Ponto. Repetuntur vero postridie omnia quę fuerunt prelecta pridie, & ad Grammaticę regulas exiguntur, vbi memoriter prius redditā fuerint. Themata vero frequentiora & longiora proponuntur, quam in classibus inferioribus: simul nonnulla versuum argumenta, sed hęc brevia & facilia.

### XXX

#### TERTIVS ORDO.

**T**ERTIANI s hora octaua exponitur Ciceronis Epistolarum liber Familiariū, aut ad Atticū Brutūm, aut ad Quintū fratrem, usque ad Calendas Ianuarias, idque Gallice. Post quod tempus, Ciceronis oratio aliqua ex facilioribus prelegitur, atque simul precepta Rhetorica ex aliquo scriptore optimo.

Hora Meridiana explicatur Syntaxis, ars Versificatoria, liber de Figuris ex Despauterio, quibus absolutis substituitur Terentij fabula.

Hora tertia prelegitur Ouidij Fa-  
storum aut Metamorphoseon liber  
aliquis. Postridie vero memoriter  
redditur pridiana Ciceronis, Ouidij  
Despauteriique lectio: & in Cicero-  
niana Ouidianaque repetēda, Gram-  
matices precepta diligenter inculcā-  
tur. Themata autem Gallica non mi-

### XXXI

nus frequentia h̄ic sunt , quam in  
Quarto ordine, sed ampliora aliquan-  
to: quibus accedunt argumenta ad  
versus scribendos frequentiora.

### S E C V N D V S O R D O .

**I**N secunda classe mane orationum  
Ciceronis aliqua pr̄legitur, & Par-  
titiones, aut à liquid tale Rheticū,

Hora Meridiana traditur historia,  
post Despauterij Versificatoriā &  
Figuras repetitas.

Tertiavero aliquid Vergilij , aut  
Metamorphoseon Ouidij inter cę-  
tera, aut Pharsalię Lucani . Quinta  
vero proponitur epigrammatis argu-  
mentum, ante dimissionem magistro  
reddendi. Repetūtur autem hic pr̄-  
lecta ac ediscuntur non segnius, atq;  
in tertio ordine fit. Declamationibꝫ  
que assuefiunt paulatim secundani  
tam priuatis quam publicis: quum  
interim nō cessent Gallica themata,

argu-

## XXXII

argumentaque orationum & carminum, sicut in Tertio Quartoque ordine fieri coeptum.

### PRIMVS ORDO.

ET si haec, & quae praecedunt, Grammaticorum classes sunt omnes, tamen in quattuor superioribus, & praeципue in hac prima, tractatur Rhetorica. Sic veteres Grammaticos in Latio etiam factitasse Suetonius auctor est. Mane ergo hora octaua precepta oratoria ex Cicerone vel Quintiliano traduntur.

Nona, Ciceronis aliquid maxime orationes, quo precepta illa, Ciceronis lectio cōfirmentur, & in usum scribendo declamādōq; transferātur.

Hora Meridiana, traditur historia ex Liuio, Iustino, Seneca, Eutropio, Mela, aut simili.

Hora tertia, Poetice, ex Vigilio maxime, & Lucano, & Persio: tum

C

### XXXIII

ex Iuuenale , Horatio ,& Ouidio:  
siquid casti habent. At quincta pro-  
ponitur pueris, quod ipsi ante disces-  
sum præceptor i reddant, argumen-  
tum epigrammatis breue pro ratio-  
ne temporis.

Postridie omnia, quibus horis pre-  
lecta fuerunt, discipuli reddunt, me-  
moriterque, in primis poetica, & que  
Ciceronis prelecta fuerint, siue ora-  
tiones sint, seu libri de Moribus.

Exercentur autem pueri in Decla-  
mationibus priuatim & publice, pri-  
uatum die Sabbathi in auditorio ma-  
ne: publice, post Calendas Nouem-  
bris diebus dominicis hora prima  
postmeridiana, in Aula , conuocatis  
signo tintinabuli omnibus pueris. At  
exercentur & illic per singulas septi-  
manas thematibus Gallicis , varijsq;  
orationum & carminum argumētis:  
que sumāntur fere ex ijs auctoribus,

qui præleguntur. Sabbathum autem,  
& siquod est aliud perwigilium ad  
medianam septimanā, optimū est huic  
rei, quo pueri habeant, quod domi  
agant & meditentur, dum schola ces-  
sat. Utilissimū vero hoc etiam, qua  
septimana nullę sunt ferię, ut Mercurij  
die aut Iouis, mane, proponatur  
Thema ex ijs, quę prælecta fuerint,  
quod reddat priusquam exeant. Sed  
de hoc postea.

## PHILOSOPHIAE DOCTORES.

Philosophię præceptores duosunt,  
& ex prima classe Grammatico-  
rum pueros exeuntes excipiunt, quo  
anno professionem suam auspicātur.

C 2

XXXV

Curriculū suum biennio conficiūt.  
Priore anno Dialectici seu Logici,  
posteriore Physici a disciplina, quam  
profitentur, ipsi & discipuli vocātur.  
Professionē suā ab Isagoge Porphy-  
rij incipiūt. Cui Aristotelis catego-  
rię, περὶ Ερμηνίας, Analytica vtraq;,  
Topica, Σοφιστὶς ἐλεγχοι, Physica,  
De Cælo, & reliqua in scholis philo-  
sophorum enarrari solita, subijciunt-  
tur, nihil cuiusquam alterius, quam  
Aristotelis, prēter eam, quam dixi-  
mus, Porphyrij Isagogēn, & Nicolai  
Gruchij præceptiones Dialecticas: si-  
cui forte videtur ab ijs suum stadium  
incipere, compendio ad Sapientię  
organum, quod antiqui vocauerunt,  
pulcherrimo doctissimōque omniū,  
quę nostra ētate in adolescentiū phi-  
losophię studiosorum gratiam, sint  
edita.

*Publicæ præceptiones.*

**C**Alendis autem Octobribus, quū probati pueri, & in classes iā distributi sunt, publici professores, qui in maiore triclinio docere solēt, ambo ad munus suum statim aggrediuntur. Græcus ab hora prima post meridianā quotannis initia lingue Græce ex Alphabeto & nominum ac verborū declinationib⁹, quas S. Millāgius edit, tradere pueris auspicatur: cognitōq; libello, Theodori Gazę aut cuiuslibet alteri⁹ Grāmaticā illis explicat. Huic rei hore dimidiū deputatur. Altera vero semihora, Demosthenis aliquid, aut Homeri, vel vt quisq; Demostheni, Homeróque fuerit similius, enarrat.

Mathematicus postea, ab hora se-cunda ad tertiam: Quem ab Logistica Burdigalę edita curriculum suum incipere optimum duximus. Cui sub iungit Pselli Mathematicum brevia-

xxxvii

rium: quo summam quattuor Mathematicarum adolescentes primum cognoscant, tum Euclidis Elementa ac postea Sphaerica, & quemque visum fuerit, vel ex Greco, vel ex Latinis hominibus, dum biennium compleatur, subiicit: quo confecto ad logisticam rursus recurrit.

Publicas autem prelectiones omnibus frequentare licet, cuiuscunque illi sint ordinis: sed Grecom in primis a quinto ordine Grammaticorum, cuncti frequenterunt: Mathematicam vero philosophie studentes, & qui primi sunt a secundi ordinis Grammaticorum.

Hi sunt ordines & classes, hec antiqua docendi ratio in gymnasio Aquitanico. In quo nihil quicquam preceptoribus licet prelegere, nisi consulto prius Gymnasiarcha: nec cundem auctorem, uno excepto Grā

**xxxviii**

matico in diuersis classibus eodē anno exponere: & quæ prelecta priore anno in classibus inferioribus fuerūt, ea nec attingere, ne discipuli bis eūdem auctorem audiant, preter Grammaticum.

De thematibus vero & disputationibus hoc amplius monēdum: quod thematum frequentia quum sit pueris utilissima, bis minimum proponūtur in septimana, die Mercurij & Sabbathi, Gallico sermone, a prima classe usque septimam vel octauam. Quę die Mercurij proponuntur, ea praeceptoribus die Iouis mane Latina facta redduntur. Quę autem Sabbathi die dictantur, ea quoniam ante diem Lunę non redduntur, plus otij est ad vertendum: & ideo lögiora aliquanto, quam priora, esse debent. Optimum autem erit, quando in septimanam nullum festum, nulla cessatio

## xxxviiii

inciderit, & pueri frequentes mane  
hesternam lectionem reddiderint, vt  
illis thema vernaculum, aut epigram  
matis longiusculi argumētum dicte-  
tur, quod ex tempore componant  
cuncti, describant, & exemplum præ-  
ceptoris, priusquam auditorium exe-  
ant, reddant. Postea quum erit com-  
modum, præceptor correcturus, fas-  
cem exemplorum, quem gestet se-  
cum, explicet. Quodcunque occur-  
rerit primum, eius auctoris nomen  
nominet vocēque. Surgat puer, &  
stans ex suo exemplari clare ac di-  
stincte, quod composuit, recitet. Præ-  
ceptor quod tenet exemplum, inspi-  
ciat: & siquid in pueri pronunciatio-  
ne, in scriptura, in sermone sit erra-  
tum indicet ac corrigat. Alium po-  
stea ex eodem fasce vocet, deinde a-  
lios. Ceterum, quoniam vni magi-  
stro tot sunt interdum discipuli, vt

ad omnia exempla sic emendanda,  
temporis satis esse vix possit , quat-  
tuor aut quinque ita , vt dictum est,  
ille poterit corrigere,vnde discipuli  
omnes studiose attendantes , quos  
commiserint errores , agnoscere po-  
terunt,ac emendare:reliqua vero an-  
te vel post prælectionis tempus in  
auditorio vel in cubiculo corrigere  
pro sua diligentia , & studio in disci-  
pulos,ipsi licebit.

Quod vero ad disputationes , &  
certamina scholastica attinet , Præ-  
ceptores&discipulos vox tintinabu-  
li ad prælectionem ter in die excitat,  
mane,meridie,& vesperi. Meridianā  
sciunt cuncti statim a prandio fieri:  
quocirca eius causa tinnitus multo nō  
est opus:sed matutinę vespertinęque  
quia temporis non ita certi sunt , bi-  
na dantur signa: quorum prius hora  
dimidiata ante octauam & tertiam,

## xli

pueros per urbem excitat, & vocat  
in Gymnasium: posterius præcepto-  
res monet, ut cubicula sua & musèa  
exeant, & cum vltimo campanæ so-  
nitu finito, auditoria ingrediantur.  
Vbi primum, præsertim hora octaua,  
suum catalogum recitari iubeant:  
quo absentes & tardi noscantur, no-  
tentur, castigentur. Inde redditur me-  
moriter lectio hesterna, & repetitur.  
Tum prælegit præceptor usque ad  
horam præstitutam. Quæ quum au-  
dita fuerit, datur & tintinabuli sono,  
Quæstionum signum. Sic enim appel-  
lant, quæ inter se quærunt pueri, con-  
ferunt, ac disputant de prælectione,  
& ijs, quæ de præceptore audiuerunt.  
Durant & semihoram hæ disputatio-  
nes per classes octo Grammaticorū,  
& philosophorum duas: tintinabulí-  
que sonus & has finit, & disputantes  
domum abigit.

Die autem Sabbathi, hora meridiana, alię quęstiones, aliáque certamina inter Primanos & Secūdanos, Térterianos & Quartanos, Quintanatos & Sextanos, Septimanos & Octauanos, de profectu & eruditione, lectionis loco, instituuntur. Alternis námq; vicibus proponūt seni, quod per otium composuerunt. vtroque orationis genere, aut altero tantum. Nam inferiores ordines hauddū carmen facere nouerunt, eoque penna paulo erassiore in ampliore charta descripto, spatio inter versus fere semipollicari, verbis & orationibus pulchrę distinctis, parietes auditoriorum suorum foris exornant, non altiore loco, quam vnde de plano legi possit. Sic enim aduersarijs licet at tēte inspicere omnia, querere, rimiri, expendere: & siquid est latentis vitij animaduersum, id modeste repre-

hendere, auctorique prodere. Quod certamen horam durat vnam. Nam quum primum audita est prima, signumque tintinabulo datum, in auditoria concurrunt pueri omnes. ad eos ingreditur praceptorum alter. carminisque argumentum in superioribus ordinibus, in alijs aliquam Gallice sententiam dicit. Excipiunt cuncti. componunt ex tempore, praceptoribusque suis, qui emendent, recitant, & abeunt. Disputant illo etiam tempore philosophiae discipuli, sed illi de thesibus propositis in suis auditorijs, & separatim. Quibus exire licet cum infimorum ordinum puerulis, quattuor primum hora prima fuerit data.

Agonum vero maximum habet schola haec celeberrimumque, octauio Calendas Septembris. Dies est Diuus Ludouicò Francorum regis sacer:vn-

## XLIV

de LUDOVICALIA nomen. Quo  
die siquid toto anno profecerunt in  
litteris pueri, magna ambitione ni-  
tuntur ostendere. Aedium namque  
aream Gymnasij circundantium pa-  
rietes tapetibus ornant. In ijs suspen-  
dunt utriusq; generis orationes plu-  
rimas: quibus emendate describēdis  
pingendisque totum Iunium Iuliūm  
que, & ipsum mensem Augustum in-  
sumperint. Media quoque area, sub  
vīmis, tapetes statuuntur, ex quibus  
pendent tabulæ & ænigmata varia.  
Comfluit vero ex tota ciuitate fre-  
quens numerus ad spectaculū. Quæ-  
cunque proposita sunt cum exami-  
nantur omnia, tum ad grifhos illos  
attendantur, si quis Oedipus soluat, &  
auferat. Ob hęc multus clamor in to-  
ta area & strepitus. Quæ dum foris  
fiunt, in aula aulęs itidem & ipsa ex-  
ornata, alia rixa est. Philosophię e-

## XLV

nim auditores, preceptore duce, ex thesibus triduo ante publicatis oppugnandos se ab hora octaua ad vndecimā quibuslibet, qui adoriri velint, prēbent. A prandio autem post horā primam pomeridianam in eandem Aulam conueniunt ex Senatorio ordine, ac ex Decurionibus, viri graues & docti: quibus iudicibus toti spectaculo catastrophe imponitur huiusmodi, Pridie eius diei, post auditam septimam, octo ex classicis, aut summi decem, Senatus principem, aut si is ab vrbe absit, eum, qui dignitate sit proximus, adeunt: sententiam ab eo quanlibet, in prorsam & carmen, accipiunt. In gymnasium redeunt, in eadēque aula conclusi, componūt totā eam reliquā diem, & noctis quātum satis sit. Mane quumprimum diluxit, ad eos venit Ludimagister: exemplisque eorum, quę clucubrarunt,

acceptis'illos dimitit. Postquam ergo illustres viri a prādio, vt diximus, in Aulam conuenerunt, conueniunt & hi sua ibi cōram illis & frequenti aliorum cōetu recitaturi ex ijs ipsis exemplis, quæ Ludimastro mane reddiderunt. Hęc ille profert: & iudicūm principi porrigit, ac secedit. Hic postea singulatim, cuiq; suum, reddit. Illi vt receperunt, in suggestum ascendunt illic ad eam rem paratum: sua clare singuli recitant, priorēsque illi, qui oratione soluta certant. Omnes autem postquam recitauerunt, consurgunt agōnothetæ: & stantes comferunt inter se, ac disceptant, qui vtroque in genere orationis antecellunt. Duo denique ex omnibus viatores declarantur: præmiōq; decouratur vterque, pileo scholastico.

Hic Ludouicalium finis est, & simul Sabbathinarum disputationum.

XLVII

quæ disputationes instaurantur pri-  
mo post Martinalia Sabbatho, inter-  
missæ ab eo sabbatho, quod Ludouica  
lia proxime præcessit. Reliquæ conti-  
nuantur usque ad duodecimū Cal.  
Octobris. Quo die post vespertinam  
lectionem pueri dimittuntur vinde-  
miaturi ad Calendas usque. quibus  
reuersi probantur a Gymnasiarcha:  
& quos inuenierit meritos, in classes  
mittit superiores: scholamque suam  
in eum annum constituit.

Hac ergo disciplina gymnasium  
suum informauerat Gouéanus, op-  
tima & pulcherrima: in qua nihil sit  
temere mutandum. Præceptores au-  
tem ille quidem requirebat per quā  
eruditos, & qui suo munere pulchre  
fungi nosslent: sed mores tamen eorū  
in primis spectabat, vt nec vitia ipsi  
haberent, nec ferrent: pueri vero ex  
ijs magistris & litteras simul discerēt,

## xlviii

& honestam viuendi rationem imbi-  
beret. Omnes eodem loco habebat:  
ac peræque caros honorabat. Quo-  
tiens illi conueniebant, nullus cui-  
quam certus locus asseruabatur: sed  
primum sine ambitione is occupa-  
bat, qui primus venisset. Sicque, ille  
fieri volebat, ut quencunque ordinē  
illiducerent, imperium in omnes  
omnium ordinum pueros ex quo  
cunctos habere pateret: monerent,  
increparent, virgis etiam cæderent,  
siquis admisisset aliquid flagitij, & in  
disciplinam scholasticā grauius pec-  
casset. Aut sicui forte graue foret, il-  
lum cædere, qui classis ipsius non es-  
set, scelus saltem verbo castigaret, &  
ad Gymnasiarcham deferret: qui in  
flagitiosum ipse postea animaduer-  
teret. Ita quotcunque præceptores  
in schola Aquitanica erant, totidem  
gymnasiarchas habere se pueri puta-

D

**XLIX**

bant, & reuerebantur : qui qualibet  
ex parte obseruarent, quid to-  
to gymnasio ageretur.

**D**Vas autem composuerat tabu-  
bulas Gouueanus de scholæ sue  
disciplina: quæ in ædium suarum ve-  
stibulo, & maioris triclinij pilis pen-  
debant. Vtranque subiçere vi-  
sum est, ijsdem verbis & capitibus  
nisi quod in altera de Ferijs, paucu-  
la mutanda, nonnullaque adiçienda  
visa sunt.

L I  
STATVTA GYMNASII  
AQVITANICI.

**Q**uoniam fundamentum optimæ cuiusque Scholæ, est Scholastica disciplina: imprimis dari operam volumus, ut in hoc Aquitanico gymnasio nō solum bonæ litteræ floreāt, sed etiam boni mores, adiutore Deo, semper obseruentur. Itaque ne quis posthac suam culpam ignoratione prætexeret, capita ad hanc rem pertinentia, palam in hac tabula propo-nenda curauimus. Sunt autem hæc.

Nemo ex nostris discipulis gym-nasium ingrediatur, nisi honeste cincto supremo vestimento.

Arma intro nullus adferat, nec fo-ris per vrbem armatus ense vel sica incedat, præterquam scholasticis ar-mis, cuiusmodi sunt libri, theca scrip-toria, cultellus pennarius.

LII

Nemo per viam ante fores, & per aream vagetur, aut obambulet: sed unusquisque statim ingressus, eat recta in auditorium suum, atque illic quiete sedendo studendoque, præceptoris ingressum expectet: aut egressus, domum se recipiat,

In gymnasio tēpestiue adsint omnes, præsertim ante secundum sonū tintinabuli.

Quotidie gymnasium frēquentēt discipuli nostri, omni hora, qua docebitur, etiam festis diebus, quibus erit exercitatio: neque temere absint, nisi consulto præceptore.

Die sabbathi post prandium omnes ad publicas disputationes conueniant.

Ante prandium nemo ludat: post prādium item nemo, nisi publice concessum fuerit.

Quibus autem diebus non doce-

bitur, licebit impuné ludere, donec de discessu admoneatur.

Disputando omnes se deant, nisi quum præceptor erit cōsulendus.

A malis omnino verbis omnes abstineant.

Nemo castigatus, seu peccati sui admonitus, præceptorū admonenti obimurmurét, aut nutu minetur, aut superbe loquatur.

Nemo iuret: nemo alteri imprece tur, aut cōnuicium dicat, aut illudat.

Nemo diaboli nomen exprimat.

Nemo rixetur.

Nemo alterum percutiat.

Nemo nisi paruulus, idēmque elementarius, vernacule loquatur: quinetiam ut ipsi paruuli discant, proueteriores vna cum his loquendo, prius Latine dicant, deinde vernaculo sermone interpretentur, siquid minus intellexerint.

Nemo iniussu nostro suam classem mutet, nemo eligat, aut suo, aut alie-  
no arbitratu: sed vt quisque profece-  
rit, vel ascendet, vel descendet, vel in  
eadem classe manebit ex præscripto  
nostro, vbi prius interrogatione pro-  
batus a nobis fuerit.

Quicunque venerint noui, statim  
nos adeant, vt pro sua cuique doctri-  
na classem assignemus, iubeamusque  
in catalogum referri.

Omnis quibuslibet professoribus,  
tam in gymnasio quam foris in vrbe,  
simulque alijs viris honestis gymna-  
sium ingredientibus vel egredienti-  
bus debitū honorem exhibeant: eos  
aperto capite & alloquantur, & fa-  
lutent.

*De Pædagógiis.*

Pædagógi pueros suos in officio  
contineant, nec tamen cädant, ne a  
litteris absterreantur: sed si quid dig-

## LV

num pœnæ commiserint , de hoc ad nos , aut aliquem ex præceptoribus referant . Nihil prælegant , nihil descendum præscribant , nisi quod ipsis in gymnasio prælectum fuerit . Sic enim puerorum ingenia plerique misere confundunt , onerant , obruunt , & quod grauius est ferendum , quod a doctis præceptoribus ædificatum fuerat , illi destrunt . Si docti sunt , præ-

lecta exiganta pueris , deque ijs interrogent : si indocti , suam ipsi agnoscentes ignorantiam , interim taceant : & tam bonos mores , quam pietatem faltem exemplo doceant . Si bene ipsi legere aut cantare , aut scribere nouerint : hæc doceant subseciuis temporibus , hoc est , quum in gymnasio non erit publica exercitatio .

Adhæc vnumquenque hortamur , ut obseruet diligenter non modo supradicta omnia , sed quicquid

---

LVII

in super ad honestatem, & bonos mo-  
res pertinere videbitur.

Postremo omnes monemus hu-  
iusce gymnasij præceptores, vt si quæ  
deprehenderint, qui in observatione  
horum peccauerit, primum admoni-  
neant: deinde si contumax fue-  
rit, pro merito delicti  
puniant.

FESTI DIES  
CIVITATIS BVRDIGA-  
LENSIS, ET QVIBVS  
•Diuis sacri sint.

*Dies JANVARII mensis,*  
1 Circuncisioni Domini.  
6 Epiphaniæ Domini.  
17 \* *Antonio Confessori*  
20 Fabiano & Sebastiano Martyr.  
25 Conuersioni S. Pauli.

*FEBRVARII,*

2 Purificationi Beatæ Mariæ.  
3 \* *Blasio Martyri,*  
22 Cathedræ Sancti Petri,  
24 Mathiæ Apostolo.

*MARTII,*

19 Iosepho viro Mariæ Virginis,

LVIIII

25 Annunciationi diuæ Virginis.

APRILIS,

25 Marco Euangelistæ..

30 \* Eutropio Episcopo Martyri.

MAII,

1 Philippo & Iacobo Apostolis,

3 Inuentioni Sanctæ Crucis,

9 \* Traslationi Andreæ Apostoli &  
Nicolai Episcopi.

16 \* Forti Episcopo Martyri,

22 \* Quiteriæ Virginis Martyri,

25 Mariæ Iacobi & Mariæ Solomœ  
fororibus Virginis Mariæ, &  
Vrbano Papæ.

IVNII,

1 Claro Episcopo,

11 Bernabæ Apostolo,

---

LIX

- 18 Amando Episcopo Burdigalēsi,  
24 Natiuitati Ioannis Baptistæ,  
29 Petro & Pāulo Apostolis,  
30        \* *Martiali Episcopo.*

I V L I I,

- 2 Visitationi Beatæ Mariæ,  
22 Mariæ Magdalenæ,  
25 Iacobo Apostolo,  
26        \* *Annæ matri Virginis Marie.*

A V G V S T I,

- 1 Vinculis Petri Apostoli,  
8        \* *Mommolo Abbati,*  
10 Laurentio Martyri,  
15 Assumptioni Beatæ Mariæ,  
16        \* *Rocho Confessori,*  
24 Bartholomæo Apostolo,  
29        \* *Decollationi Ioannis Baptistæ.*

LIX

SEPTEMBRIS,

- 8 Natiuitati beatæ Mariæ,  
14 Exaltationi S. Crucis,  
21 Matthæo Apostolo & Euang.  
29 Michaëli Archangelo.

OCTOBRIS,

- 18 Lucæ Euangelistæ,  
21 Seuerino Episcopo Burdigalensi,  
28 Simoni & Iudæ Apostolis.

NOVEMBRIS,

- 1 Omnibus Sanctis,  
2 Defunctorum cōmemoratiōnī,  
11 Martino Episcopo,  
25 Catharinæ Virgini,  
30 Andreæ Apostolo.

DECEMBRIS,

- 1 \* *Eligio Confessori,*

LXI

- 6 Nicolao Episcopo;  
8 Conceptioni beatæ Mariæ,  
21 Thomæ Apostolo,  
25 Natiuitati Domini,  
26 Stephano Protomartyri.  
27 Ioanni Apostolo & Euangelist:  
28 + Sanctis Innocentibus.

**D**iscipuli autem nostri ut indefessam operam litteris nauantes, maiorem profectum in ijs faciant, eos, quæ ad Pietatem pertinent, ante omnia studiose amplexari oportet. Deum itaque Diuōsque per quam sancte colunto. De Religione, deque sanctis maiorum nostrorum decretis recte sentiunto, & loquuntor. Quæ ab orthodoxis patribus damnata sunt, ea neque legunto neque audiunto. Sacra frequentanto externi, sicut, & que atque domestici non solum festis, sed etiam profestis diebus, quibus sacris peractis, ad litterarum suarū studia illico redeūto.

Profestis diebus, in hac schola Aquitanica doceatur ab hora octaua matutina usque ad decimam, & à meridiuna ad primam, ac à tertia ad quintam, nisi diebus Martis & Louis, quibus docetur a tertia ad quartam tantum.

Festis vero diebus supra descriptis intermittuntur prælectiones, præterquam illis, qui versibus brevioribus, characteribusque & asteriscis ab alijs di-

LXII

ſtinguntur: quibus mane, meridie, & vespere docetur horas singulas.

*Si duo, pluresque fuerint in hebdomade dies festi, quibus intermittendae prælectiones videantur, uno id fiet, illo, qui dignitate meritoque præferendus videbitur.*

*Peruigilijs lectio vespertina unius horæ eſt.*

*Matutinas vespertinasque prælectiones omnes, quotquot horarum ſint, ſemper ſequitur ſemihora diſputationum.*

*Sabbatho omni, mane, & meridie docetur, quemadmodum & alijs diebus profestis: ſed hora tertia omnino ceſſatur. Meridiana tamen illa lectio infirmorum eſt ordinum tantum. Nam in ſuperioribus diſputationes tunc fuunt pro lectionibus.*

*Omni Dominico die ceſſat omnis docendi exercitatio.*

*Peruigilio Epiphaniorum, Purificationis & Annunciationis beatæ Mariæ Virginis, & Ascentionis Domini ceſſatur ab hora prima audita.*

*Toto die Martis Hilariorum, & qui iipſum ſequitur, Cineralium die toto ceſſatur.*

*Primo Sabbatho Quadragesimæ toto die ceſſatur, Confessionis cauſa.*

*Pridie Ramalium ceſſatur, toto poſtmeridiano tempore.*

*Hebdomade sancta in diei Martis prælectione vespertina finitur omnis exercitatio, & redintegratur matutino diei Mercurij poſt Pascha.*

*Sabbatho proximo poſt Pascha, ceſſatur a prædio.*

LXIII

Sabbatho Pentecostes, propter Confessionem tota  
die cessatur, & inde usque ad Mercurij proximum  
matutinum.

Sabbatho per uigilio Sanctae Trinitatis cessatur  
post prandium.

In per uigilio festi Corporis Christi cessatur ab  
hora prima usque ad diei Veneris matutinum.

Pridie festi Assumptionis beatæ Mariæ, Confes-  
sionis gratia, omnino cessatur.

Toto omnium Sanctorum per uigilio Confessionis  
gratia, & per endie, omnino cessatur.

Pridie Natalis Domini etiam propter Confessio-  
nem omnino cessatur usque ad diei sanctis Inno-  
centibus sacri matutinum.

Per uigilio Circumcisio[n]is Domini, toto postmeri-  
diano tempore cessatur.

